



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

2. An definitio Porphyriana generis sit bona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

CONCLUSIO III.

Genericitas in abstracto non definitur hic. Probatur quia, ut patet ex terminis, illud quod definitur hic, est genus; sed genericitas non est genus, ergo genericitas non definitur hic.

CONCLUSIO IV.

Definitum hic est secunda intentio in concreto, propter scilicet connotat naturam communem, quae in actu exercito est pradicabilis de pluribus speciebus. Haec est authorum quinta sententia contra reliquas sententias. Probatur primo auctoritate Philosophi cap. de substantia, ubi dicit album quod est concretum accidentale solum qualitate significare: hoc autem non est sic intelligendum, quasi nullo modo significaret subiectum qualitatis, cum alias non esset differentia inter album & albedinem, sed quod eam solum per se & formaliter significet, licet materialiter & in obliquo significet subiectum albedinis: ergo concretum accidentale per se primo significat formam, & consequenter genus per se primo significat genericitatem: sed quod per se primo significat genus est definitum per se huius definitionis: ergo genericitas est, quae per se primo hic definitur, in concreto tamen, & ut concernens naturam quam afficit.

Probatur secundo ratione, quia si concreta huiusmodi per se primo & principaliter significarent subiectum, tum unum album ut album distingueretur specie ab alio albo ut album est, quod est absurdissimum. Probatur sequela, quia subiectum significatum per unum album potest esse distincta speciei a subiecto alterius albi, ut patet si unum album sit homo, & aliud paries: ergo tum distinguuntur specie secundum praedictam doctrinam. Probatur consequentia, tunc aliqua distinguuntur specie, quando quod principaliter includunt & dicunt, distinguitur specie: sed quod principaliter dicit hoc album, verbi gratia homo albus, etiam ut album, distinguitur specie ab eo, quod principaliter dicit aliud album, nempe paries albus: ergo unum album ut album distingueretur specie ab alio albo, ut alba sunt.

Probatur tertio etiam ratione: quia, ut patet ex dictis, illud hic per se definitur quod est pradicabile in actu signato: sed certum est ipsam secundam intentionem, ut concernentem subiectum, esse sic pradicabilem, non vero ipsam naturam aut secundum se aut ut affectam secundam intentionem: ergo definitum hic non est natura ut affecta secundam intentionem, sed potius secunda intentio, ut afficiens naturam.

16. Obiicies: illud per se primo formaliter & directe significatur per concretum accidentale, quod in explicatione concreti ponitur in recto; & illud significatur connotative, & indirecte, quod in tali explicatione ponitur in obliquo; sed in explicationibus huiusmodi connotatum subiectum ponitur in recto, hoc est, in nominatio casu, & forma in obliquo hoc est in aliquo alio casu, nam si quis velit explicare album, dicit quod album sit habens albedinem; & quod lignum album, sit lignum habens albedinem, seu affectum albedine; ubi ipsum lignum ponitur in nominatio casu, & albedo in accusatio, vel ablativo: ergo huiusmodi concreta dicunt per se & directe subiectum formae, & indirecte, ac connotative ipsam formam; & consequenter genus per se directe dicit naturam, ac indirecte genericitatem: & consequenter ulterius definitum per se in definitione generis erit natura communis, ut affecta generitate.

Respondetur negando maiorem, quoties subiectum ponitur in recto in tali explicatione; quod addo, quia si quis ita explicaret ut poneret formam in recto, ut si explicaret album dicendo quod esset albedo affixa seu inherens alicui subiecto, tum illud significaretur per se quod poneretur in recto seu nominatio, non tamen ex eo quod poneretur in nominatio, sed ex principiis nostrae conclusionis. Adversarij autem, qui nihil aliud intelligunt per dicere formaliter & directe, quam sic dicere, ut in explicatione concreti debeat poni in nominatio casu, reducunt hanc difficultatem ad quaestio-

nem de nomine, cuius tamen ipsi peiorem partem habent; quia in significatione terminorum potius tenendum cum antiquis, quam cum recentioribus; nisi aliqua ratio specialis urgeat, qualem non assignant adversarij.

Obiicies secundo: definitio debet convenire ut quod suo definito: sed definitio generis hic non convenit secundae intentioni etiam in concreto: ergo secunda intentio in concreto non est quae hic definitur per se.

Respondetur negando minorem, nam praedicari de pluribus praedicatione signata convenit generitati in concreto, sicut convenit ipsi generi, & hoc quidem ex natura ipsiusmet secundae intentionis sic acceptae; quidquid dicant Complutenses supra.

QUESTIO II.

An definitio Porphyriana Generis sit bona.

Definitio generis data à Porphyrio, quam hic examinamus, est illa quae dicitur quod genus sit quod pradicatur de pluribus specie differentibus in quid.

CONCLUSIO.

17. Haec generis definitio est bona & essentialis per additamentum. Prima pars est communissima omnium interpretum hic contra Laurentium Vallam, qui negare videtur definitionem hanc esse bonam, quatenus putat genus nequaquam definiri aut describi posse, propter obiectiones inferius ponendas. Secunda pars est Doctoris qu. 14. vniuers. & D. Tb. de ente & essentia c. 4, quos sui sequuntur.

Probatur prima pars quia illa definitio est bona, quae datur per genus & differentiam, seu per quam explicatur genus & differentia definiti sine superfluitate: sed ita sit in hac descriptione, ergo est bona. Probatur minor, quia per praedicari de pluribus (quod intelligendum est aptitudinaliter) significatur ratio generica, in qua convenit genus cum ceteris pradicabilibus, quae etiam sunt pradicabilia de pluribus tam bene quam genus; per ceteras autem particulas explicatur differentia ipsius, per quam differt ab aliis pradicabilibus de pluribus: nam dum dicitur quod illa plura, de quibus est pradicabile, sint distincta specie, determinatur à specie infima; & dum dicitur quod praedicetur in quid de illis pluribus, significatur differentia ipsius à differentia proprio, & accidente, quae non sunt pradicabilia in quid, sed in quale: ergo significatur in hac definitione genus & differentia generis. Quod autem nihil superfluum contineat, patet, quia nihil continet nisi quod significat genus, & differentiam: sed quod hoc significat non est superfluum, ergo nihil in hac definitione est superfluum, & consequenter à primo ad ultimum erit bona.

Secunda pars conclusionis patet, quia illa definitio est essentialis per additamentum, in qua ponitur genus & differentia rei, & aliquid aliud: sed hic ponitur genus & differentia generis nimirum pradicabilitas talis particularis, & aliquid aliud nimirum species illa distincta, quae sunt termini istius pradicabilitatis, & non sunt de essentia generis, ut patet, ergo haec est definitio essentialis per additamentum. Et si petas cur detur per additamentum, respondeo, quia alias non posset significari genus & differentia eius, neque enim potest quis explicare pradicabilitatem de pluribus speciebus, nisi ponendo in explicatione plures species, ut est manifestum.

18. Quod si quaeras quid significetur per ly quod positum in hac definitione. Aliqui dicunt significari naturam communem; aliqui Vniuersalem ut sic; aliqui pradicabile. Sed quantum ad naturam communem existimo illam non significari per se per ly quod, sed potius vniuersalitate in concreto, quae sola potest mediante verbo esse praedicari de genere, non vero natura communis. Quantum ad alios duos modos, uterque est bonus, perinde enim est utrum dicatur ipsum vniuersale significari per ly quod, an vero pradicabile de multis, quae est eius definitio in concreto. Nec refert quod si intelligi posset pradicabile, tum sensus definitionis esset, quod genus esset pradicabile

de

Duo alba ut alba non distinguuntur specie.

Definitio generis est bona & essentialis per additamentum.

de multis, quod potest prædicari de pluribus speciebus in quid. Non inquam refert hoc, nam id nõ est inconueniens, cum prædicabile de multis tale in particulari aliter explicari non posset: & sane si poneretur etiam vniuersale, vt aliquis intelligeret definitionem hanc, deberet per illud intelligere prædicabile de multis: nec est magis inconueniens quod mente cõcipiat per ly quod prædicabile de multis, quam quod verbis per illud explicet prædicabile de multis. Sed hæc res est parui momenti.

19. Obiicit pro Valla: si hæc definitio esset bona, aut si genus posset per vllam definiti, deberet cõstare hæc definitio genere & differentia. & genus deberet includere genus & differentiam: sed hoc est absurdum; ergo nec hæc definitio est bona, nec genus vlla ratione definiti potest. Probat minor tribus medijs: primo, quia absurdum est, quod genus constet essentialiter specie sibi opposita. Secundo, quia sequeretur quod genus esset species, quidquid enim continetur sub genere, si non sit indiuiduum (provt non est genus hic definitum, cum sit quid commune omni generi) debet esse species; & quidem infima, si non habet genus hic definitum sub se plures species, vt non habet secundum communiorum sententiã (de qua parum hic curandum est sit ne vera an falsa) sed hoc est absurdum, cum species sit opposita generi. tertio, quia genus hic definitum continet sub se omnia genera definiti. n. hic genus vt sic: sed non cõtineret, quando quidem genus illud quo constaret, & in quo conueniret cum alijs prædicabilibus, sit supra ipsum, quandoquid sit commune ipsi & alijs illis prædicabilibus: quod autem est commune pluribus est superius ad illa, hæc enim ratione animal dicitur superius ad hominem & brutum.

Respondent communiter, tam Scotistæ quam Thomistæ distinguendo sequelam maioris: deberet genus constare genere & differentia, primò intentionaliter acceptis, conceditur; secundò intentionaliter acceptis, negatur. Itaque per genus primo intentionaliter acceptum intelligit quidquid potest exercite prædicari de pluribus differentibus specie in quid: & quia vniuersale vt sic, potest sic prædicari de genere & specie, propterea est genus primò intentionaliter acceptum, & consequenter, quandoquid includatur in genere hic definito, genus hic definitum cõstat sine dubio genere primo intentionaliter accepto. Per differentiam etiam primò intentionaliter acceptam intelligunt illud, quod potest prædicari exercite de pluribus in quale quid, & quia illud, per quod contrahitur vniuersale vt sic ad genus, potest prædicari exercite de omni genere contento sub genere hic definito, sicut rationalitas potest prædicari de omni homine, propterea illud est differentia primo intentionaliter accepta; & rursus quia illud est constitutum generis hic definiti, sicut rationale est constitutum hominis, ideo admitti debet, quod genus hic definitum constet differentia primò intentionaliter accepta.

20. Præterea per speciem primo intentionaliter acceptam intelligunt illud, de quo potest prædicari exercite genus primo intentionaliter acceptum, & quod potest prædicari exercite de pluribus numero differentibus in quid; vnde quandoquid genus secundò intentionaliter acceptum contineatur sub vniuersali, quod de ipso exercite prædicari potest, & quandoquid etiam possit prædicari exercite de hoc & illo genere secundo intentionaliter accepto, hinc est quod sit species primo intentionaliter accepta.

Per genus autem secundo intentionaliter acceptum intelligunt illud, quod est prædicabile prædicatione signata de pluribus speciebus in quid, seu illud quod est ratio cõstituens aliquid prædicabile exercite de pluribus speciebus in quid; vniuersale autem vt sic, quod est genus, quo constat genus hic descriptum, non est prædicabile signate de pluribus differentibus specie, nec ratio cõstituens aliquid prædicabile de pluribus speciebus in quid, alias omne vniuersale deberet esse sic prædicabile, quod est falsum, vt patet de specie & alijs tribus vniuersalibus: ergo genus hic descriptum non constat genere secundo intentionaliter accepto, licet constet genere primo intentionaliter accepto.

Similiter per differentiam secundo intentionaliter acceptam intelligunt illud quod est prædicabile in quale quid prædicatione signata de pluribus: illa autem differentia, qua constat genus hic descriptum, non est sic prædicabilis, sed potius prædicatione exercita, & propterea non constat differentia, secundo intentionaliter accepta, sed potius differentia primo intentionaliter accepta.

Denique species secundo intentionaliter accepta est, quæ prædicatur signate de pluribus differentibus numero, & propterea quandoquid genus hic descriptum contineatur sub genere, hoc est sub vniuersali vt sic, & prædicetur etiam exercite de hoc & illo genere secundo intentionaliter acceptis, quæ, vt supponitur, solo numero differunt, non erit species secundo intentionaliter accepta, sed primo intentionaliter accepta.

21. Verum quamuis hæc doctrina saluet propositam obiectionem sufficenter ex suppositione, quod definitur hic genus secundo intentionaliter acceptum, hoc est illud, quod potest signate prædicari in quid de pluribus speciebus; tamen quia posset etiam definiti seu describi genus primo intentionaliter acceptum, dicendo quod sit illud quod potest prædicari exercite de pluribus speciebus in quid, vt animal prædicatur de homine & bruto, & color de albedine & nigredine, prædicta difficultas potest proponi cõtra hoc, & propter eam suaderi, quod nõ possit definiti: quia si definiretur, deberet cõstare genere & differentia primo intentionaliter acceptis, & esse species primo intentionaliter: sed omnino videtur absurdum quod genus primo intentionaliter acceptum vt sic cõstet genere primo intentionaliter accepto, quandoquid ipsimet cõtineat sub se omne genus primo intentionaliter acceptum, sicut animal, vt sic, continet sub se omne animal. Et similiter videtur absurdum, quod constet differentia primo intentionaliter accepta, aut sit species primo intentionaliter accepta, quandoquid differentia & species primo intentionaliter acceptæ sint species oppositæ generi primo intentionaliter accepto, sicut genus secundo intentionaliter acceptum est opposita species differentia & speciei secundo intentionaliter acceptis.

Respondet ad hanc difficultatem distinguendo minorem: est absurdum quod constet genere vt est genus formaliter, concedo; quod constet genere, sed non vt genus formaliter, nego minorem, & eodẽ modo distinguo minorem quoad duas alias partes: est absurdum quod cõstet differentia, vt differentia est formaliter, aut quod sit species formaliter quatenus species, ita vt non possit intelligi ipsius essentia quin intelligatur constare genere vt genus, aut differentia vt differentia, aut quin sit species vt species, concedo; est absurdum quod constet genere aut differentia, non tamen sub conceptu generis, aut differentia, aut est absurdum quod sit species, non tamen ita vt hoc requiratur ad conceptum ipsius quatenus genus, nego minorem.

22. Itaque licet genus primo intentionaliter acceptum cõstet vniuersali vt sic primo intentionaliter accepto, & etiam illa formalitate, per quam vniuersale vt sic contrahitur ad ipsum genus, & licet etiam vniuersale vt sic vere sit genus, & illa formalitas sit differentia; tamen non includantur in genere, vt habent rationem generis aut differentia formaliter loquendo; sed illa ratio est ipsis omnino per accidens quantum ad constitutionem generis, vt euidenter colligitur, quia non habent constituere genus sub illa ratione generis & differentia, quandoquid ad hoc vt intelligatur genus essentialiter, non est necesse vt intelligatur vniuersale, quo constituitur sub ratione prædicabilis de pluribus speciebus exercite, sed sufficit, quod intelligatur sub ratione prædicabilis de pluribus abstrahendo à ratione particulari illorum plurium, an sc. sint distinctæ species, vel non sint: & idem est dicendum de formalitate illa, quæ contrahit vniuersale vt sic ad genus, neque enim vt intelligatur constitui genus per ipsam, debet illa intelligi per modum prædicabilis de pluribus in quale.

Quod vltius cõfirmatur, quia si per impossibile vniuersale, vt sic, non esset prædicabile de alio quam de genere,

Quid differentia secundo intentionaliter accepta.

Quid species secundo intentionaliter accepta.

Quomodo genus primo intentionaliter acceptum possit cõstare genere & differentia.

genere, & si per impossibile illa formalitas contractiva non esset prædicabilis de pluribus, sed de solo genere, adhuc genus esset constitutum sufficientissime: & hinc patet, quod sit etiam per accidens ad constitutionem generis, quod sit species, licet realiter sit tam necessarius species primo intentionaliter quam homo.

Non est autem absurdum, quod eadem res secundum diuersas rationes & considerationes habeat oppositas rationes formales, ut patet de subiecto & prædicato, quæ sunt opposita formaliter, cum tamen idem omnino terminus possit esse subiectum & prædicatum, secundum diuersas tamen considerationes. Nec etiam est absurdum, quod vniuersale ut sic, quatenus præcisè consideratur ut prædicabile de pluribus, sit superius ad genus, ut sic primo intentionaliter acceptum, & quatenus consideratur, ut prædicabile de pluribus differentiis species in quid, sit inferius ad idem genus.

23. *Obiicies secundo:* Per illam definitionem non distinguitur sufficienter genus à differentia: ergo non est bona. Probatur antecedens, quia etiam differentia prædicatur in quid, ut patet ex Aristotele 7. *Ethic. c. 2.* dicente: *Eorum quæ sunt in assignata oratione, hoc quidem genus, illud verò differentia, & in eo quod quid est, genus & differentia prædicantur.* Ex quibus verbis ulterius colligitur, quod interroganti quid sit homo, tam bene responderi possit dicendo quod sit rationale, quam dicendo quod sit animal.

Respondetur negando antecedens, ad cuius probationem dico prædicari in quid duobus modis intelligi posse: vno modo quatenus sic diceretur prædicari quod est de quidditate & essentia rei, & sic sine dubio differentia tam est prædicabilis in quid, quam genus, & hoc voluit Philosophus loco supradicto: Sed id non intelligitur per prædicari in quid positum in definitione generis. Secundo, per prædicari in quid intelligitur, modus particularis prædicabilitatis, quem habet genus solummodo, & hic modus prædicandi non conuenit sine dubio differentia, nec voluit Philosophus quod hoc modo prædicetur differentia nec consequenter interroganti quid sit homo, bene responderetur dicendo, quod sit rationalis, quia per talem interrogationem queritur id, quod de homine prædicatur isto modo speciali.

24. *Si autem quæras,* quid sit iste specialis prædicandi modus, qui competit soli generi, aut cur genus prædicatur in quid?

Respondetur aliqui, quia prædicatur per modum totius, & non per modum partis. Verum hæc explicatio non placet, quia genus non inuoluit expresse & formaliter totam essentiam speciei, alias per solum genus bene definiretur species: ergo non potest prædicari per modum totius essentia seu per modum illius, quod diceret totam essentiam expresse, quia alias prædicatio esset falsa: quando cumque enim aliquid prædicatur per modum sibi non conuenientem, prædicatio est falsa.

Si vero dicatur, quod non prædicetur per modum totius, quasi expresse diceret totam essentiam, sed quia expresse dicit vnam partem, & connotatiue reliquam partem. *Contra,* quia quamuis reuera debeat admitti, quod sic prædicetur per modum totius; tamen non sufficit hoc ad propositum: nam per hunc modum prædicandi non distingueretur à differentia, nam differentia etiam prædicatur hoc modo per modum totius: dicit enim expresse, & formaliter partem essentia, & connotatiue reliquam partem, ut prædicatur de inferioribus prædicatur enim de ipsis in concreto solummodo, & non in abstracto; homo enim dicitur sensibilis & rationalis, non vero sensibilitas, nec rationalitas.

25. *Respondetur ergo alio modo,* quod ille specialis modus prædicabilitatis in quid, qui competit generi, consistat in hoc quod prædicetur substantiæ, seu per modum per se stantis, & competit ipsi sic prædicari, quia prædicatur per modum alicuius determinabilis, non vero per modum determinatiui, sicut prædicatur differentia, quæ propterea dicitur prædicari in quale quid, & non in quid, quia vniuersaliter quidquid conuenit ali-

cui per modum determinantis & præsupponentis aliud, est prædicabile de illo in quale; & quod prædicatur per modum non qualificantis, seu determinantis, prædicatur in quid: hoc enim est, quod intelligunt authores communiter per prædicationem in quid, & in quale.

An autem à parte rei sit inter formalitatem animalitatis & rationalitatis talis differentia, ut illa non possit prædicari per modum qualificantis seu determinantis, nec hæc per modum determinabilis seu qualificabilis; quam difficultatem examinat hic *Auerſa*; non facit ad præsentem difficultatem, cui sufficit quod tum habebit formalitas aliqua rationem differentia quando prædicatur per modum qualificantis aut determinantis, & rationem generis quando prædicatur per modum determinabilis ad plures species.

26. *Obiicies tertio.* Philosophus 7. *Met. tex. 48.* ait, substantias secundas prædicari in quale quid, & non in quid: sed genera sunt substantia secundæ: ergo male dicitur in prædicta definitione, quod genus prædicetur in quid.

Respondetur breuiter, Philosophum non potuisse negare quin substantia secundæ prædicentur in quid eo modo quo iam explicauimus prædicari in quid, qui est modus quo debet explicari in definitione generis: alio ergo modo negauit illas prædicari in quid, & asseruit prædicari in quale quid. Iste autem alius modus est, quod non prædicentur in quid de primis, tanquam si essent per se subsistentes & realiter distinctæ à substantiis primis seu indiuiduis, sicut ipse putauit Platonem sensisse; sed quod prædicentur per modum inclusorum & identificantium ipsis indiuiduis, & consequenter in quale quid, prout prædicari in quale quid dicit prædicationem alicuius inclusi in aliquo.

27. *Obiicies quarto.* In hac definitione nihil ponitur, per quod genus differt à specie, nisi quod genus prædicetur de pluribus distinctæ speciei, species verò de pluribus differentiis numero: sed hæc differentia non sufficit ad faciendam ipsam prædicabilia distinctæ rationis: ergo si sint prædicabilia distinctæ rationis, ut communiter supponitur, mala erit prædicta definitio. Probatur hæc consequentia, quia mala est definitio, in qua non ponitur sufficiens ratio distinctiua rei definite ab aliis rebus distinctæ rationis ab ipsa. Probatur minor, quia si prædicabilitas in quid de distinctis numero, & prædicabilitas in quid de distinctis specie, esset distinctæ rationis, sequeretur à pari quod prædicabilitas de distinctis speciebus subalternis, esset distinctæ rationis, & sic daretur plura genera distinctæ rationis, quod videtur contra communem sententiam admittentem tantum quinque prædicabilia.

Respondet quidam Scotista, quod non in eo præcisè distinguatur genus & species, quod genus prædicetur de pluribus speciebus, & species de pluribus indiuiduis; sed ex eo quod prædicetur genus incomplete, & species complete: nec tamen fuit necesse ponere particulam illam *complete* in definitione generis, quia sufficienter datur intelligi per hoc quod dicatur prædicari de pluribus speciebus, neque enim aliquid vnum potest prædicari de speciebus diuersis, nisi incomplete: si enim complete prædicaretur de vtriusque, essent species diuersæ & non essent, quod implicat; essent quidem, ut supponitur; non essent autem, quia conuenirent in tota essentia, quandoquidem conuenirent in illo vno, quod dicit totam eorum essentiam formaliter & explicite.

Iuxta quam doctrinam, quæ videtur satis communis, responderi potest in forma ad prædictam objectionem, negando minorem, & sequela probationis, quia ex eo quod dicatur genus prædicari de pluribus speciebus, & species de pluribus indiuiduis, colligitur quod habent diuersum modum prædicandi, quia colligitur quod vnu prædicetur complete, & alterum incomplete: sed per hoc quod substantia ut sic prædicetur de generibus subalternis substantia corporeæ & incorporeæ, & quod animal prædicetur de speciebus infimis (supponendo scilicet quod brutum esset species infima sicut homo) non colligeretur diuersus modus prædicandi animalis & substantiæ, & consequenter

Prædicari in quid duobus modis intelligitur.

Quomodo genus prædicatur in quid.

sequenter animal & substantia non sunt distinctæ rationis in ratione generis.

28. *Contra tamen hanc doctrinam*, quia sicut genus habet diuersum modum prædicandi à specie, quia scilicet prædicatur incomplete, & species complete; ita etiam genus superius habere videtur diuersum modum prædicandi à genere inferiori, quia prædicatur per modum magis incompleti & magis potentialis, ut est euident, quia est in potentia & ad genus inferius quodcumque, suæque inferiora, & ad alia; verbi gratia, substantia ut sic est potentialis respectu corporeæ substantiæ omnium; quæ sub ipsa continentur, & præterea ad substantiam incorpoream, contentaque sub ipsa substantia aut corpore non est tam potentialis, quia solum est potentialis respectu corporearum substantiarum, & non respectu incorporearum. Propter hoc probabiliter potest dici quod genera superiora distinguantur etiam in ratione generis ab inferioribus, ut supra dixi disp. præcedenti.

Alia responsio ad objectionem.
Iuxta quem dicendi modum responderi potest aliter ad objectionem negando minorem, & concedendo sequelam probationis, negando verò esse absurdum quod dentur plures vniuersales species quam quinque, quamuis omnes possint reduci ad illa quinque.

Alia obiectio posset proponi hic, nimirum quod genus prædicetur de pluribus numero differentibus; animal enim prædicatur, de Petro & Ioanne. Sed ad hanc objectionem respondebitur postea disputatione sequenti, quæstione prima num. 12. & modo sufficit insinuare quod non prædicetur de indiuiduis immediate, nec tantum, sicut species prædicatur; quod sufficienter significatur dum dicitur esse prædicabile de speciebus, eo enim ipso datur intelligi quod non prædicetur tantum, nec immediate de indiuiduis.

29. Obicitur ultimo contra secundam partem conclusionis, quia dictum est quod prædicta definitio generis sit essentialis: illa definitio non est essentialis, quæ datur per proprietatem, sicut nec hæc est definitio essentialis hominis, sed potius descriptio eius: homo est animal rationale; at prædicta definitio datur per proprietatem, quæ est proprietas eius.

Confirmatur, quia Porphyrius vocat illam explicationem generis, descriptionem, & non definitionem: ergo talis est censenda.

Respondetur, negando minorem, prædicabilitas enim de multis est de essentia vniuersalis logici, de quo agimus, siue loquamur de vniuersali logico, prout dicit illud quod est prædicabile exercite de multis; siue loquamur de ipso, prout dicit illud, quod est prædicabile signate de multis; & consequenter prædicabilitas talis est de essentia generis. Quod si etiam ipsamet prædicabilitas formalis non esset de essentia vniuersalis, sed proprietas eius, adhuc posset saluari quod prædicta definitio esset essentialis, quia non intelligeretur per prædicabilitatem in ea positam prædicabilitas formalis, sed radicalis & fundamentalis, quemadmodum contingit in multis aliis definitionibus, in quibus circumloquuntur Doctores differentias rerum per earum proprietates.

Ad confirmationem nego consequentiam, quia sæpè confundunt auctores latini has voces, descriptio & definitio, vtentes iis tanquam synonymis.

QVÆSTIO III.

Quomodo genus requirit plures species.

30. **E**rtum est ex definitione seu descriptione generis præmissa, genus requirere aliquo modo plures species, quia aliàs non esset prædicabile de illis: sed adhuc dubitari posset an requiratur illas actu existentes, an vero sufficiat quod possibiliter existant, seu quod possint existere; vel an requiratur quod existant obiectiue in intellectu, hoc est quod intellectus cognoscat ipsas ut possibiles, vel ut actu existentes.

Prima sententia est, genus primo intentionaliter acceptum, hoc est quæcumque naturam, quæ potest prædicari de pluribus prædicatione exercita, requirere plures species actu existentes, quamuis species non requiratur plura indiuidua actu existentia. Ita Complutenses Carme-

lite disp. 6. quæst. 2. citantes pro se plures Thomistas, & ex recentioribus Toletum ac Ruinum.

Secunda sententia est genus non solum non requirere plures species actu existentes, sed nec requirere plures species possibiles, quæ species sint veræ species & prædicabiles de pluribus indiuiduis, sed sufficere quod habeat sub se vel actu, vel possibiliter plura indiuidua distinctæ rationis, quorum tamen ratio distinctiua non sit communicabilis vterius, aut saltem non debeat considerari ut talis, ita scilicet, ut si esset tantum vnus homo possibilis, & vnus brutum, adhuc animal haberet rationem generis respectu hominis & bruti, & ita ut quamuis sint plures homines possibiles, & plura bruta, tamen ut consideretur animal esse genus respectu hominis, & bruti, non esset necessarium quod consideretur homo, aut brutum, ut communicabilia, aut prædicabilia. Hanc sententiam proponit Auerſa hic scilicet 4. sed nullum autorem pro ea citat.

Tertia sententia est genus non requirere plures species actu existentes, sed requirere tamen plures species communicabiles, ita ut non possit cognosci sub ratione generis, quin cognoscat habere sub se plures species communicabiles & vniuersales. Hæc tribuitur Doctore quæst. 18. vniuers. cum suis, quos sequuntur Louanienſes hic part. 4. Auerſa supra, & recentiores communiter.

Pro declaratione huius difficultatis aduertendum est, eam esse præcipue de genere metaphysico, seu primo intentionaliter accepto, hoc est de natura quacumque, quæ est prædicabilis exercite prædicabilitate generica; nihilominus tamen aliquid etiam in gratiam tyronum de genere logico addendum erit.

CONCLUSIO I.

31. *Licet de facto omnis natura generica habeat sub se plures species communicabiles, vel actu existentes, vel saltem possibiles, tamen probabile est quod ad saluandum conceptum generis, ut distinguitur a cæteris prædicabilibus, id non requiratur, sed sufficiat ipsi habere sub se plura indiuidua distinctæ rationis essentialis, etiamsi ratio distinctiua eorum non esset communicabilis vterius.*

Prima pars huius assertionis est communissima auctorum primæ & tertiæ sententiæ, & fortassis non negaretur ab autoribus secundæ, quibus sufficere deberet secunda pars conclusionis.

Probatur prima pars; quia non est implicantiæ aliqua, quod vllum prædicatum essentiale creatum multiplicetur numero saltem: ergo omne tale prædicatum est sic multiplicabile per diuinam potentiam: ergo nullum est prædicatum specificum contractuum generis, quod non sit multiplicabile, & consequenter omnis natura specifica contenta sub genere est communicabilis vterius, quia quæcumque natura, quæ solis constat prædicatis communicabilibus, est communicabilis; sed natura specifica quæcumque contenta sub genere constat solum ipsomet genere & differentia specifica contrahente genus: ergo si illa differentia sit communicabilis, etiam ipsa natura specifica est sic communicabilis.

Confirmatur hæc pars per omnia illa principia, quibus Scotistæ & recentiores communiter probant esse possibiles plures Angelos distinctos numero tantum: nam si omnis natura specifica Angelica sit communicabilis vterius, quæcumque alia natura specifica erit vterius communicabilis; nulla enim potius deberet esse incommunicabilis, quam natura specifica Angelica, & nulla est ratio, cur quæcumque Angelica esset sic communicabilis potius quam quæcumque alia specifica. Hæc autem principia hic sunt supponenda, de quibus per se agi solet in materia de Angelis, & fortassis nos etiam aliquid dicemus disputatione sequenti.

32. *Secunda pars conclusionis, in qua est maior difficultas, est expressè contra Auerſam supra, & probatur, quia si verbi gratia solus homo esset possibilis, & solum vnus brutum, aut si consideraretur ab intellectu vnus homo & vnus brutum, non considerando alios homines, aut alia bruta possibilia; posset adhuc intellectus considerare animalia*

Natura generica non requirit plures species possibiles.

Omne prædicatum essentiale est multiplicabile.